|------|----------------|-----------------|-----------------|--------------------|--------------------|
|      | 97             | 98              | 99              | 100                | 101                |
| 17 R | Per essentiam, | Per passiones,  | Per accidentia, | Per causas,        | Per effectus,      |
|      |                |                 |                 |                    | 102                |
|      |                |                 |                 |                    | [Per ethimologiam, |
|      | 103            | 104             | 105             | 106                |                    |
| 18 S | Per synonyma,  | Per metaphoras, | Per negationem, | Per affirmationem, |                    |
|      |                |                 |                 |                    | 107                |
|      |                |                 |                 |                    | [Per figuras,      |
|      |                |                 |                 |                    | 108                |
|      |                |                 |                 |                    | Per symbola.       |

Decima continet duodecim modos diuidendi, qui sunt totius:

- |      |                         |                            |                           |
|------|-------------------------|----------------------------|---------------------------|
|      | 109                     | 110                        | 111                       |
| 19 T | In partes potenciales,  | In partes actuales,        | Essentiae in passiones,   |
|      | 112                     | 113                        | 114                       |
|      | Subiecti in accidentia, | Accidentis in substantiam, | Accidentis in accidentia, |
|      | 115                     | 116                        | 117                       |
| 20 V | Vniuoci in uniuocata,   | Aequiuoci in aequiuocata,  | Mixti in simplicia,       |
|      | 118                     | 119                        | 120                       |
|      | Subiecti in virtutes,   | Virtutis in operationes,   | Operationis in gradus.    |

Vndecima continet 12 modos eandem rem considerandj, qui sunt:

- |      |               |             |           |              |              |            |
|------|---------------|-------------|-----------|--------------|--------------|------------|
|      | 121           | 122         | 123       | 124          | 125          | 126        |
| 21 X | Philosophicè, | Theologicè, | Phisicè,  | Metaphisicè, | Mathematicè, | Medicè,    |
|      | 127           | 128         | 129       | 130          | 131          | 132        |
| 22 V | Ethicè,       | Iuridicè,   | Politicè, | Analogicè,   | Poeticè,     | Historicè. |

Duodecima continet doudecim promptuaria analogica, quae sunt:

- 23 Z <sup>133</sup> Paradisus, <sup>134</sup> Caelum, <sup>135</sup> Aer, <sup>136</sup> Terra, <sup>137</sup> Aqua, <sup>138</sup> Ignis,  
 24 & <sup>139</sup> Subterranea, <sup>140</sup> Purgatorius, <sup>141</sup> Infernus, <sup>142</sup> Ars, <sup>143</sup> Virtus, <sup>144</sup> Vitium.

[5] ARTICULUS SECUNDUS. — *De apta horum principiorum ordinatione ac multiplici eorumdem combinatione...*

[6u] ARTICULUS TERTIUS. — *Quaestiones breuiter explanantur...*

[7u] ARTICULUS QUARTUS. — *Principia absoluta explanantur...*

[8u] ARTICULUS QUINTUS. — *Principia respectiua declarantur...*

[9u] ARTICULUS SEXTUS. — *Alij termini ad haec principia absoluta reducantur...*

[10u] ARTICULUS SEPTIMUS. — *Alij termini ad principia respectiua reducantur...*

[11u] ARTICULUS OCTAUS. — *Verba uniuersalia enodantur...*

[13u] ARTICULUS NONUS. — *Subiecta uniuersalia describuntur...*

[14u] ARTICULUS DECIMUS. — *Praedicamenta explicantur...*

[15u] ARTICULUS VNDECIMUS. — *Termini logico-metaphysici enodantur...*

[16u] ARTICULUS DUODECIMUS. — *Motiuua physica adducuntur...*

[17u] ARTICULUS TERTIUS DECIMUS. — *Modi definiendj expanduntur...*

[18u] ARTICULUS QUARTODECIMUS. — *Modi diuidendi enucleantur...*

[19u] ARTICULUS QUINTODECIMUS. — *Modi eandem rem considerandi exponuntur...*

[20u] ARTICULUS SEXTODECIMUS. — *Promptuaria analogica aperiantur...*

[21u] ARTICULUS DECIMUS SEPTIMUS. — *Vsus huiusce artis magis extricatur...*

[23] ARTICULUS ULTIMUS. — *Huius artis usus in priuata meditatione explanatur.*

Iuxta triplicem theologiae mysticae viam, scilicet purgatiuam, illuminatiuam et unitiuam, trinam tibi determina rerum meditandarum classem, prima pro uitijs extirpandis, 2.<sup>a</sup> pro uirtutibus aquirendis, 3.<sup>a</sup> pro Deo diligendo.

In prima reponere uales duodecim uitia principalia, ex. g. septem uitia capitalia, nempe superbiam, etc.; deinde sensuum licentiam, ingrati animi uitium, diuinarum inspirationum abiectioem, legum inobseruantiam, proximi scandalum.

In secunda duodecim praecipuas uirtutes, ex. g. tres uirtutes theo-

logicas (fidem, spem, charitatem); 4.<sup>r</sup> uirtutes cardinales (prudenciam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam); tria uota essentialia (paupertatem, castitatem, obedientiam); aliasque duas uirtutes generaliores, ex. g. orationem et diuinae uoluntati uniformitatem.

In 3.<sup>a</sup> distribuere potes duodecim motiua in nobis diuinum amorem excitantia, cuiusmodi sunt, ex. g., finis creationis, mysterium incarnationis, beneficentia Dei, amor eiusdem erga homines, exemplum creaturarum caelestium et sublunarium, felicitas amantis, praemium beatitudinis, poena non amantium, exemplum sanctorum, meritum Dei, beatitudo anticipata, deificatio.

Hae tres classes uberrimam trium annorum meditationi suppeditabunt materiam, sicque spatio triennali per consuetas uias ad optatum perfectionis terminum [23u] conducent. Singulae classes duodecim motiua continent, duodecim anni mensibus correspondentia. Exemplum sit, in prima, superbia pro mense ianuarij, auaritia pro februario, etc. Idem uitium pro fuga, uel eadem uirtus pro prosecutione, prima mensis die examinabitur per sex loca primae capellae, 2.<sup>da</sup> die per sex alia 2.<sup>ae</sup>, et sic de caeteris.

Duplex hinc percipies emolumentum: primum cedit in profectum spiritus seu uoluntatis, dum argumenta proprio Marte deprompta fortius animum excitabunt et, penè in infinitum multiplicata, ipsum ualidissimè confirmabunt; secundum caedet in profectum intellectus, qui paulatim ingenti merito assuescet tam minuto rerum omnium scrutinio, ut nihil ipsi uel scholasticum, uel politicum, uel morale proponi queat, de quo amplissimum non inueniat disserendi theatrum.

[24]

## PARS SECUNDA

## DE ARTE ANALOGICA

Artem analogicam, scilicet rerum omnium similitudines atque dissimilitudines percurrentem, tanti facit Cornelius Gemma in sua *Cosmocrítica*, ut ad illam propemodum totam methodum sciendi reducere uideatur.

ARTICULUS PRIMUS. — *Quid et quotuplex sit ars analogica.*

I. Ars analogica est quâ res omnes, quas scire desideras, priùs in speculo et enigmate repraesentantur, quam facie ad faciem prouideantur. Verbo, est ars quâ deprehenduntur in maximis minima, in supremis et infimis media, in infimis et medijs suprema, in omnibus omnia. Non nempe quidquam est in uniuersa rerum natura, quod non omnibus et singulis sub certa proportionem respondeat, ut ita uerum

sit axioma pythagoricum et platonicum: quodlibet reperitur in quolibet.

2. Clarius, per artem analogicam intelligimus illam intellectus operationem quâ quod conuenit uni subiecto, per analogiam tribuitur alteri. Nam subiecta quae sunt inter se similia pariter habent annexa sibi similia praedicata, et ita praedicatum unius per analogiam praedicatum fit alterius; non quod unius praedicatum sit idem logicè cum alio, sed quod illa praedicata sint similia, nuncupenturque saepius eodem vocabulo; v. g. si ea quae praedicantur de flore praedicentur de homine, et uicissim quae praedicantur de homine praedicentur de flore.

3. Haec ars analogica apud Izquierdo uocatur translatio, quod unius subiecti praedicatum, per analogiam, ad aliud [24u] transferri dicatur. Distinguuntur autem huius translationes à translationibus rhetorum, quod hae sint propriae uocabulorum non itidem significatorum per illa conceptuum obiectorum.

4. Vt intelligas rectè quid sit ars analogica nota similitudinem obiectorum duplicem esse, aliam puram, hoc est ab omni dissimilitudine depuratam, et per hanc ordinantur logicè extrema similia sub uno conceptu, v. g. Petrus et Paulus in ratione hominis; aliam mixtam cum aliqua dissimilitudine, et haec dicitur analogia. Analogia namque sumpta propriè est similitudo proportionum, siue earum, quae inter extrema diuersa sunt, habitudinum.

5. Nota bene. Sicut extrema purè similia, quae logicè sunt una essentia, non possunt non habere pariter passiones purè similes; sic etiam extrema similia mixtè non possunt non habere similes mixtè passiones. V. g. cum corpus humanum languens extremè et respublica languens extremè sint similia mixtè; sequitur manifestè quod, sicut corpus humanum extremè languens remedia requirit extrema, ita pariter respublica languens extremè extrema postulet remedia. Ratio manifesta, quia rerum essentiae sunt passionum radices; ergo quo gradu sunt inter se similes, eo fundant in gradu similes passiones. Et hinc plurimae illae demonstrationes nostrae a paritate rationis.

6. Ars analogica duplex est, illatiua et explicatiua. Illatiua per modum argumentationis est quando ex eo quod tali subiecto tale conueniat praedicatum, inferimus alteri subiecto analogicè simili praedicatum simile conuenire. Explicatiua [25] per modum explicationis est quando ad notificandum explicatiùs, uel etiam persuadendum, quomodo conueniat alicui subiecto praedicatum aliquod, alterius subiecti praedicatiue conuenientiam notiozem illique similem analogicè praeferrimus, et ad instar cuiusdam exempli se ipso notificatiui ac explicatiui in uirtute illius analogiae quam habet cum illa subiecti praedicatiue conuenientia proponimus.



[25u] ARTICULUS SECUNDUS. — *Artis analogicae regula cum exemplis.*

Regula. Hanc artem, arti combinatoriae iunctam, sic applica. Dum combinationem exerces circa res uniuersi quascumque aut circa quaecumque scientiarum obiecta, principia terminosque, diligenter analogiam aduerte ac proportionem in omnibus illis extremis quae combinas. Cum autem analogia sit ab extremis indistincta, inspectis illis paululum acuratiùs, substantia se prodet ipsa et innotescet.

Exemplum 1. Cum omnes res uniuersi, immo cuncta scientiarum obiecta miram inter se se analogiam habeant, exempla sine numero ex quibusuis rebus obuijs ac particularibus formare tibi poteris, ut exerceare. Nos exemplum ponimus in tribus mundis, nexu continuò, uelut aureâ cathenâ, copulatis. Vis noscere mundum maiorem? inspice minorem. Vis minorem? inspice maiorem. Vis mundum medium seu politicum? alterum aut utrumque perpende, et in singulis singula singulis per analogiam ritè applica, et in omnibus omnia singulaque proportionaliter in singulis reperies. Verbo, sume res quascumque et quotcumque et generis cuiuscumque, et easdem inter se se compara, miraque inuenies.

Exemplum 2.<sup>um</sup> explicatiùs. Vis mundum maiorem in minore? inuenies in homine partes caelestes, aethereas et elementares, suos uentos et imbres, circulos et zonas, etc. Vis planetas? solem, totius uitae motionisque fontem? cor habes. Lunam, foecunditatis humidae matrem? cerebrum habes. Iouem, blando calore fouentem omnia? hepar habes. Saturnum, totius melancholiae sedem? splenem habes. Martem? fellis cistam habes. Venerem, motus omnis in [26] geniali natura promotricem? organa habes. Mercurium, omnia spiritu connectentem? pulmonem habes. Vis elementa? habes ignem in bile, aerem in sanguine, aquam in pituita, terram in melancholia. Vis metheora? pluuias et nubes habes in catharris, grandinem in calculis et arenis, uentos in cholica; in inflammationibus ac febribus fulgetram; rores et pruinas in sudoribus et lacrymis, etc. Vis plantas? capitella papaueris ac squillae habes in capite, nam papauer ac squillae sunt similia capiti capitique medentur. Eadem de causa muscum et amianthum habes in capillis, assarum in auribus, euphrasiam in oculis, mentastrum in naso, dentariam in dentibus, uuluariam in gutture, hepaticam in iecore, cardiacam in corde. Denique uis cetera? habes in uenis flumina, fontes in capillis et gramina, zenith in capite, nadir in pedibus, orientem in vigilia, occasum in somno, in fronte galaxiam, in uultu auroram, etc.

[26u] ARTICULUS TERTIUS. — *Alia plura exempla adducuntur...*

[28] ARTICULUS QUARTUS. — *Quomodo principia huius scientiae ad aliam applicentur.*

Exemplum primum, omnibus manifestum. Perlege medicos et stupebis quam omnia medicae principia politicae coueniant. Subnecto quosdam aphorismos ex Hippocrate et alijs. Amabo: dijudica num rectius conueniant mundo paruo, num mundo politico; et si nescires esse principia medicae, certus sum quod politica nuncupares.

1. Extremis morbis extrema exquisitè remedia optima sunt.
  2. Malorum principijs occurrendum.
  3. Paulatim sensimque transeundum ab extremo ad extremum.
  4. Quae relinquuntur ex morbis tollenda, ne recidiua pariant.
  5. Contraria contrarijs curantur, et similia similis [*sic*] conseruantur.
  6. Parua incendia neglecta magnas uires saepe assumunt.
  7. Turpe rescindendum, ne pars sincera trahatur.
  8. Omnis mutatio subita ad contrarium est periculosa.
  9. Non pura corpora quanto plus nutries, tanto magis laedes.
- Denique perlege alia centena, uidebisque, ad analogiae normam, omnia mundo politico applicari posse.

Exemplum 2.<sup>um</sup> philisophicum. Compara cum metaphisicis phisica, et cum his illa, ac porrò, si placet, utraque cum logicis, et miram inuenies analogiam, quae omnibus arcana plura reserabit. V. g. compara [28u] materiam cum essentia, formam cum existentia; uel materiam cum genere, formam cum differentia, etc.; uel partes essentialis phisicas cum partibus essentialibus metaphisicis, uel hae [*sic*] cum illis, et abditâ combinatione argumenta sine numero reperies à paritate rationis.

Exemplum 3.<sup>um</sup> geometricum. Axioma geometricum: quae eidem tertio sunt aequalia, inter se sunt aequalia.

Analogicum: quae eidem tertio sunt similia, sunt inter se similia.

Geometricum: si aequalibus aequalia adiecta sint, tota sunt aequalia.

Analogicum: si similibus similia adiecta sint, tota sunt similia.

Geometricum: idem sibi ipsi inaequali impossibile est.

Analogicum: idem sibi ipsi dissimile impossibile est.

[29] ARTICULUS QUINTUS. — *Alia plura exempla exponuntur...*

[30] ARTICULUS SEXTUS. — *Modus ex tempore, de quocumque proposito themate, concionandi seu perorandi.*

Proponatur quodcumque thema, v. g. de laudibus viri sapientis. Assume in tua mente quamcumque rem, v. g. caelum, uel aliquid in caelo, uel unum ex 4.<sup>f</sup> elementis, uel mixtum quodlibet, uel opus ar-

tificiale, dummodo res sit nota tibi, et quò notitior, eò melior ad tuam rem. Hanc ipsam uolue in tua mente et inquire quaenam praedicata in illa reluceant, uel phisicè uel moraliter; et illicò eadem praedicata suggerent tibi similitudines uel dissimilitudines, dummodo quidquid de uno dicitur in sensu physico, de altero enuncies in sensu morali uel metaphorico.

Non multum officit rem esse maximè disparem, quia inuenitur quodlibet in quolibet. Quid mage [*sic*] disparatum quam uir sapiens et fornax? attamen suae non desunt analogiae. Aspice fornacem et uide figuram illius quadratam; confestim tibi suggeretur occasio discurrendi de constantia uiri sapientis, cum figura quadrata stabilitatem significet; uidebis fornacem benè compactam ex lapidibus sibi firmiter coherentibus, et en occasio discurrendi de mutua coniunctione sapientum; uidebis fornacem in delicijs esse apud homines brumali tempestate, non autem aestiua, et en occasio dicendi [301] sapientes in pretio non esse, nisi tempore necessitatis; uidebis fornacis splendorem, et dices sapientes illuminare rempublicam; fornacis ignem, et dices sapientes mutuas charitatis flammam nutrire; fornacis cinerem, et dices sapientes continuò sepulchralis cineris reminisci.

Consimili modo de caeteris omnibus quae absque numero sensibus nostris obuia sunt, sermonem ad rem tuam instituere ualebis, perpetuò memor esse quodlibet in quolibet, et uix aliquid occurret philosophicum praedicatum quod rei tuae, in sensu morali aut metaphorico, nequeat inservire.

[31]

## PARS TERTIA

## DE ARTE ANALYTICO-SYNTHETICA

Eiusmodi ars scientiarum resolutioni compositionumque maximè inseruire ualet, praecipuè, oblata occasione ex tempore, thesim aliquam impugnandi. Quamobrem, sicuti artem analogicam oratoribus, sic analytico-syntheticam scholasticis maximè proficuum duco.

ARTICULUS PRIMUS. — *Quid sit ars analytico-synthetica.*

Nomen graecum analysis latinè sonat resolutionem, et synthasis [*sic*] compositionem. Quamobrem ars analytico-synthetica nihil aliud est, quam ars resolutorio-compositoria. Resolutio est assumptio quaesiti tanquam concessi per consequentia ad uerum concessum, et è contra compositio per consequentia ad quaesitum, ad quod à concessis progredimur.

Patet hoc totum apud mathematicos, qui, dum propositionem in-

tendunt demonstrare, supponunt illam esse ueram, et ex hac ipsa propositione quam ueram supponunt, deducunt consequentia[m], ex qua, tanquam ex antecedenti, iterum aliam consequentiam trahunt, et ex illa aliam, donec ad consequens aliquod deueniant, quod est aliunde notum ac certum, et tunc absoluta est resolutio.

Quod si haec ipsa consequentiarum annulatim inter se connexarum cathena inuertatur, ita ut primo loco [31u] proponatur illa propositio, aliunde nota ac certa, quae in resolutione fuit penultima, sicque ordinatim per uariarum consequentiarum gradus ascensus fiat ad problema propositum tanquam ad ultimam consequentiam: operatio haec nuncupatur compositio.

Compositionis artificium clarissimè patet apud Carthesium, qui plerumque, ex principijs positis quae uera supponit, tanquam à centro ad circumpherentiam ita progreditur, ut tandem post continuatam propositionum deductionem unius ex altera, tuum problema ponat in aprico totamque eiusdem hypothesim probabilem reddat.

Artem hanc exemplo dilucido: proponatur, ex. g., an Deum esse sit per se notum secundum se; supponamus quod sic, et operemur tali methodo per resolutionem.

Nota sit per se secundum se haec propositio *Deus est*.

Si hoc? ergo in hac propositione includitur praedicatum in ratione subiecti; hoc nempe est esse propositionem notam per se secundum se.

Si hoc? ergo esse includitur in ratione Dei.

Si hoc? ergo esse Dei non est aliud ab essentia Dei.

Si hoc? ergo esse Dei non est causatum ab alio. Quidquid non est in aliquo praeter essentiam eius, oportet esse causatum ab alio, cum nulla res sufficiat ut sit sibi causa essendi, si habeat esse causatum.

Si hoc? ergo Deus est à se, et prima causa. Quod est manifestum: omnes nempe philosophj Deus [*sic*] intelligunt ens à se, causam primam, etc.

[32] Modò inuertatur ordo, et operemur per compositionem sic: Manifestum est Deum esse ens à se et causam primam.

Ergo esse Dei non est causatum ab alio: quidquid nempe, etc.

Ergo esse Dei non est aliud ab essentia Dei.

Ergo esse Dei includitur in ratione Dei.

Ergo in hac propositione *Deus est* praedicatum includitur in ratione subiecti.

Ergo est nota per se secundum se haec propositio *Deus est*, quod erat ostendendum.

Datur etiam reductio ad impossibile seu ad absurdum, quae aliud non est quam praeexplicata resolutio in qua, per concatenatam conse-

quentiarum seriem, non peruenitur ad aliquid per se notum et certum, sed ad aliquid manifestè falsum. Ex. g. supponatur problema an homo sit animal? Operemur per resolutionem, supponendo hominem non esse animal, tali methodo.

Homo non est animal.

Ergo non est corpus sensitium.

Ergo est corpus insensatum.

Ergo non uidet, non audit, non olfacit, non gustat: quod est absurdum seu manifeste falsum.

Ex hoc absurdo modo retrocedamus per compositionem ad solutionem problematis sic:

Falsum est hominem non uidere, non audire, non olfacere, etc.

Ergo falsum est ipsum esse corpus insensatum.

Ergo falsum est ipsum non esse corpus sensitium.

Ergo falsum est ipsum non esse animal.

Ergo homo uerè est animal.

[32u] ARTICULUS SECUNDUS. — *Artis analytico-syntheticae emolumentum proponitur.*

1.<sup>o</sup> Hac arte quamcumque datam propositionem probare uales. Si nempe uis proponere aliquam propositionem esse ueram, suppone illam ueram esse, et deduc ex illa consequentiam, et ex hac iterum aliam, et tandiu prosequere donec uenias ad aliquid uel lumine naturae notum, uel aliunde manifestè probatum; tum regredere ab ultimo consequente ad primum antecedens, et habebis probatum quod cupis...

[33u] ARTICULUS TERTIUS. — *Maxima difficultas in hac arte dissoluitur.*

Obijcis. Capiò perbene totam artem, et hoc uidetur esse nobis à natura inditum, ut deducamus consequentias, quemadmodum me instruere uoluisti. Sed hic Rhodus, hic Salta. Quaero nempe quomodo deducam consequentias. Nam proponitur mihi thesis uoloque deducere consequentias, et en! haeret aqua, non uideo quid sequatur.

Respondeo. Rectè obijcis, et difficultatem acu tangis. Audi ergo: habes ante te propositionem et uis ex illa deducere consequentias, unam ex alia, et iterum aliam ex alia; sic operare: propositio quaelibet constat subiecto, praedicato et copula, ut nosti. Perlustra ergo illam propositionem ex qua uis deducere consequentias, et defini uel diuide illius praedicatum uel subiectum, et statim occurret consequentia, et sic deinceps.

Si hoc feceris, non patieris difficultatem in deducendis etiam centum consequentijs, si opus sit; v. g., deducendae sunt consequentiae ex hac propositione *datur Deus*; cogita: quid est Deus? est causa

prima; infer: si datur Deus datur causa prima. Iterum cogita: quid est causa prima? est talis causa ante quam non datur absolutè alia; en ergo iterum consequentiam: si datur causa prima, ergo non datur ante quamcumque causam alia [34] semper, et alia, etc. Cogita iterum quid est hoc, non dari ante omnem causam aliam et aliam: est non dari processum in infinitum in causis; en ergo iterum nouam consequentiam: non datur ante omnem causam alia et alia, ergo non datur processus in infinitum; sed, etc.

Obijcis iterum. Iam mihi uidetur difficile [*sic*] definire subiectum et praedicatum, quam deducere consequentias, ergo manet adhuc difficultas.

R. 1.º Exercitatio soluet hanc obiectionem; admoue manum et experieris breui nihil esse tam abstrusi, de quo non cum fructu seu meditari seu discurrere possis, ita ut materia te nunquam defectura sit.

R. 2.º Vt in hoc tibi satisfaciam, adhibe pro adminiculo uarios illos modos, quibus parte prima, art. 13, ostendimus eandem rem posse definirì.

[34u]

## QUARTA PARS

## DE PRAXI HUIUS TRIPLICIS ARTIS

Estò ex hucusque relatis in triplici huiusce opusculi parte, satis liquidò pateat nostra mens; non iniucundum tamen nec inutile fore duximus, si eandem per uarias praxes magis aperiamus.

PRAXIS PRIMA. — *De quacumque re proposita statim totum librum in capita diuidendi cum uberrima tractandarum rerum materia...*

[36] PRAXIS SECUNDA. — *De quacumque re proposita ex tempore discursum formandi.*

Supponamus tibi suggestum ascendenti imperari ut illicò, ex. g., de fortitudine bellica sermonem habeas.

1.º Conijce statim animum in sphaeram quaestionum et statue problema quid sit bellica fortitudo; an melius sit fortiter pro patria mori, an segniter in patria uiuere; cur nobis insita fortitudo à natura; quanta in hominibus; quis illam suadeat; qualis illam exercens; quot homines fortiter in bello uitam dedere; vbi obierunt praecipui duces nisi in bello?, etc.

2.º Percurre principia absoluta, dicendo, ex. g.: mori pro patria est bonum, honestum, necessarium, utile, iucundum, etc.; indicat animi magnitudinem, durationem famae tribuit, potentiam hostium frangit, sapientiam boni ciuis testatur, voluntatem ad omnia paratam arguit, virtutem animi et corporis ostendit, veritatem à philosophis traditam comprobatur, gloriam humanam diuinamque promeretur.

3.<sup>o</sup> Lustra omnia principia relatiua, ex. g. dicendo: vir moriens pro patria conuenit cum Curtio, cum Horatio; differt à segni, ab ingrato, etc.; contrariatur hostibus, est principium communis securitatis, medium accipit ad nominis aeternitatem, finis est in quem omnes applausus collimant, maior est caeteris ciuibus, aequalis est triumphantibus; minor tamen Christi martyribus.

4.<sup>o</sup> Aduerte caeteras sphaeras, singulas minutim, et per uarias comparationes examinando, sicque nouas semper argumentorum mineras ingenti audientium admiratione effodies.

[36u] PRAXIS TERTIA. — *Inexpectatos, ut uulgo uocant, conceptus, de quocumque proposito themate facillè reperiendi.*

Fiet hoc eadem arte quâ superiores partes explicuimus. Forsan etiam faciliùs uotum assequeris per artem analytico-syntheticam, parte 3.<sup>a</sup> satis dilucidata. Nimirum propone tibi quodcumque thema, cuius aut ueritatem aut falsitatem ostendere cupis. Illud semper erit aliqua propositio. Sit v. g. hoc thema probandum: diuites sunt infelices; hanc ipsam propositionem conijce in chartam, et ex una parte sub subiecto propositionis pone definitiones et diuisiones eiusdem subiecti, et nouas consequentias deduc, et ex his adhuc alias nouas, ordine deorsum.

Ex altera parte pone sub praedicato illius propositionis similiter definitiones et diuisiones praedicati, et inde nouas consequentias, et ex his alias ordine deorsum.

Per artem combinatoriam, p. 1.<sup>a</sup>, art. 2.<sup>o</sup> explicatam, compara consequentias primas sub subiecto cum ultimis consequentijs sub praedicato; iterum primas cum medijs, medias cum ultimis, medias cum medijs per crucem, per circulum, per triangulum, prout placet, et audeo tibi polliceri conceptus de proposito themate plurimos omninò inexpectatos et argutos, qui se quasi ultrò offerent; immò in tanta copia, ut non uni, sed pluribus orationibus suffecturi sint.

[37] PRAXIS QUARTA. — *Discursum sine fine protrahendi...*

[37u] PRAXIS QUINTA. — *De quacumque materia consilia tum domi, tum militiae, expeditiùs proferendi.*

In comperto est bonos consiliarios etiam uigesimam, si non centesimam, saepè consequentiam praeuidere oportere. Ideo modus consilijs expeditè dandis ualdè opportunus latet in arte analytico-syntheticam, quâ scilicet aureum longissimumque omnium consequentiarum filum educitur et deducitur. Hoc fiet percepto bene statu quaestionis, subiecta praedicataque propositionum dubiarum per definitiones ac diuisiones exenterando.

Omnis consiliarius actum agit, nisi propositae rei circumstantias omnes praecalleat. Ideo ut sui nominis mensuram impleat, opus est ut

continuo prae oculis habeat quaestiones primae sphaerae: quid?, an?, cur?, quantum?, etc.; sic nempe rem totam ad fundum usque examinabit, nec ulla erit tam abdita consequentia, quae tam solerti scrutatione erui non possit.

Artem analogicam ad consilium plurimum conducere arbitror, recogitando an aliquando et ubi aliquid simile factum sit, aut dissimile; id quod passim apud consiliarios usum obtinuit, et dicitur uulgò: *a facti sequiti*. Huic rei summè fauet ad lectas historias reflectere.

Si propositam rem quis per caeteras sphaeras circumageret, praesertim arte combinatoria in auxilium uocata, tot circumstantias praeuideret, ut non tam consiliarius, uerum et inter consiliarios tanquam uates audiretur.

[38] PRAXIS SEXTA. — *Argutias innumeras de quacumque re inueniendi.*

Argutia generalissimè describitur: conclusio uel sententia praeter aut contra expectationem allata. Ideo si uis argutari, quaere praedicatum aliquod propositae rei inexpectatè simile, uel inexpectatè dissimile, siue in uoce, siue in re. En exemplum in uoce: Didimus astrologus non regitur influentijs polorum, sed poculorum. Exemplum in re: si dulce est pro patria mori, dulciùs est pro patria uiuere.

Eiusmodi praedicata inexpectatè similia, uel inexpectatè dissimilia, sine numero deteges, si sphaeras supra positas sedulò lustrabis, sicque artem combinatoriam, analogicam necnon analytico-syntheticam explicato modo exercebis.

Hoc unum te monitum uelim, primum argutiarum fontem esse aequiuocationem, quae, teste Aristotele, in quocumque genere latet. Ideo argutias affectantibus semper in genere loquendum est.

Secundus earundem fons, uel potius praedicti fontis riuius, est transitus à genere in genus, cum scilicet uerba sonant quid phisicum, at sensus est tamen moralis; ex. g. si de epicureo aegrotante et medicorum collegium aduocante dicas: quis hunc male de anima sentire suspicabitur, dum tantam de propria salute curam habeat?

[38u] Tertius argutiarum perennis fons est fallacia non causae pro causa, cum scilicet tanquam rei essentia adducitur id quod uerè essentia non est, uti fecit ille qui, interrogatus quare paruulam uxorem duxisset, respondit: quia ex duobus malis minus est eligendum.

Elogia noua conficies et epigrammata, si, sumpto quocumque elogiorum seu epigrammatorum libro, ex ueteribus acuminibus arte analythica noua subinde acumina inferes, siue quod unus de igne dixit, tu ad aquam transferas arte analogica, nam idem ubique analogicè theatrum, eadem comoedia, mutatis tantum personis.



[39] PRAXIS SEPTIMA. — *Comparationes similitudinesue afferendi, phraseque eleganti continuò loquendi...*

[40] PRAXIS OCTAUA. — *De qualibet, quamvis abstrusâ materiâ, tam numerosas quaestiones expedite proponendi, ut respondens, etiam pereruditus, fatiscere cogatur.*

[41] PRAXIS NONA. — *Modus argumentandi, etiam longissimo tempore, de una re, ita ut materia nunquam deficiat nec medius terminus mutetur.*

1.<sup>o</sup> Per artem analytico-syntheticam uoti compos fiet. Proposita quacumque thesi, statim defini uel describe subiectum uel praedicatum, et habebis sillogismum. Negetur tibi maior uel minor: iterum illius negatae propositionis subiectum ac praedicatum describe, et sic semper habebis in promptu quibus probes et quibus impugnes.

Ex. g., thesis impugnada sit haec: materia prima est pura potentia. Definito materiam, definitionemque pone in maiori, ex. g. dicendo: materia prima est subiectum primum; deinde sic adde minorem: sed pura potentia non est subiectum primum; ergo materia non est pura potentia.

Vel aduersarius negabit maiorem, vel minorem. Si maiorem, iterum defini ipsam definitionem, scilicet subiectum primum, ex. g. dicendo: subiectum primum est quod primum recipit formam; hancque nouam definitionem pone in maiori, deinde sic adde minorem: sed pura potentia non est huiusmodi, ergo materia non est pura potentia.

Si primi sillogismi negauerit minorem, defini puram potentiam; deinde adde in minori: sed materia uel subiectum primum non est huiusmodi, ergo non est pura potentia.

Hac arte in materia dialectica seu disputabili [41u] in infinitum procedes.

2.<sup>o</sup> Id ipsum praestare potes per principia lulliana, siue per principia absoluta et respectiua 2.<sup>ae</sup> ac 3.<sup>ae</sup> sphaerae, nempe probando propositam thesim per primum principium absolutum, quod est Bonitas; et hoc per secundum, quod est Magnitudo; et hoc per tertium, quod est duratio, etc. Et ubi ad finem deuenieris, iterum ultimum proba per medium, hoc per penultimum, hoc per 2.<sup>dum</sup>, etc. Et sic consequenter per artem combinatoriam, omnia multiphariam permiscendo, cum nempe omnes illi termini sint inter se conuertibiles; quemcumque demum serues pro quocumque probando, semper manebis in medio termino eodem, sine defectu materiae.

Ex. g. praedictam thesim impugnaturus dicas per principium Bonitatis:

Quidquid creauit Deus est ualdè bonum.

Sed si materia esset pura potentia non esset ualde bona, et tamen esset creata.

Ergo non est pura potentia.

Proba minorem per 2.<sup>um</sup> principium, quod est magnitudo, sic:

Quod caret omni magnitudine non est ualde bonum.

Sed pura potentia caret omni magnitudine.

Ergo pura potentia non est ualde bona.

Proba minorem hanc per 3.<sup>um</sup> principium, quod est Duratio, sic:

Quod per se durare nequit, caret magnitudine perfectionis.

[42] Sed pura potentia per se durare nequit.

Ergo caret magnitudine perfectionis.

Proba similiter hanc minorem per 4.<sup>um</sup> principium, quod est Potentia, sic:

Quod est pura potentia nequit durare sine actu.

Sed materia est pura potentia.

Ergo per se durare nequit.

Modo, si uis recolligere omnes consequentias superiores, sic dicas:

Ergo caret magnitudine perfectionis. Ergo caret bonitate. Ergo non est ualde bona. Ergo non est creata a Deo, quod est absurdum.

En, in nouum exemplum, haec alia thesis impugnanda: anima est immortalis; sic argumentari potes per Bonitatem:

Si homo esset immortalis, praesertim boni deberent esse tales; sed, etc.; ergo, etc.

Proba maiorem per Magnitudinem sic:

Si boni essent immortales, praesertim immortales essent ij qui sunt maximi secundum Bonitatem; sed, etc.; ergo, etc.

Proba maiorem per Durationem sic:

Si maximi essent immortales, plus durarent quam alij; sed, etc.; ergo, etc.

Proba maiorem per Potentiam sic:

Si plus durarent, haberent aliquam potestatem per quam plus durarent; sed, etc.; ergo, etc.

Et sic ordine per caetera curre; sunt enim omnia conuertibilia.

MIQUEL BATLLORI, S. I.

Avigliana (Torì).